

vere ac realiter id possideatur ab humana natura, vi istius communicationis, & cum ac in eadem, & per eandem operatur. Ita laudatus antea Theologus in Libro de Persona Christi p. 253. solide & graviter mentem Ecclesiae nostrae exponit, qui alibi etiam exinde solidissime argumentatur a συνδύσει naturarum, ad communicationem idionatum κατὰ συνδύσιν: Vbicunque duae naturae inter se uniuntur κατὰ συνδύσιν unione vera, reali ac proprie ita dicta, quarum una est instar δυνάμεως & potentiae, altera instar ἐντελεχείας & actus, ibi haec communicat illi vere & realiter sua idiomata ad communem possessionem, usurpationem & denominationem: & de Persona Christi subsumitur; nec minus negotium ab unione communicativa animae ad corpus, & ignis ad ferrum dilucidat & illustrat. p. 288.

§. VI. Notamus II. Quod, ubi nostrates dicunt, communicationem fieri καθ' ἐνωσιν vel συνδύσιν, id est, unionem personalem, ut illam ab hac realiter non separant, sed potius in hac ipsa unione personali fieri communicationem hypostaseos, naturarum & idionatum docent, ita propterea utramque non temere confundant. Etsi enim unionem personalem secum ferre communicationem dicunt, non tamen ideo ex communicatione meram aliquam faciunt unionem seu conjunctionem, sed ad unionem hypostaticam in tota latitudine formalis actus, ut & effectus proximi spectatam, referunt ipsam communicationem, si vero rigorosius & angustius consideretur, formale discriminem constituunt inter unionem & communicationem, & hanc quidem, dicunt, fieri καθ' ἐνωσιν, non vero dicunt, communicationem esse nihil aliud, quam unionem. Quoniam de sententia nostratuum agitur, audiatur suffragium Theologi antea adducti: Aliud est unio, quae intercedit inter naturas, divinam & humanam, non autem inter proprietates, (non enim, proprie loquendo, unitae sunt naturarum proprietates, sed naturae,) aliud communicatio, quae in unione hypostatica triplex datur, tum hypostaseos, tum naturae, tum idionatum. Quae studiose confundunt Syncretistae,